



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Gnoti Seautón, Sive Arnoldi Geulincs Ethica

Geulincx, Arnold

Lugd. Batav., MDCLXXV

Auctoris Creia Philosophica super hac sententiâ Qui unam habet omnes  
habet virtutes. De sumpta ex ejus Collegio oratorio, & propter materiæ  
affinitatem Ethicæ adjuncta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48728](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48728)

AUCTORIS

Creia Philosophica

*super hac sententiâ*

Qui unam habet omnes ha-  
bet virtutes.

*Desumpta ex ejus Collegio oratorio, &  
propter materiae affinitatem Ethicæ  
adjuncta.*

AUCTORIS

Cicero Philosophica

per hanc

Qui magis habet omnes ha-

bet virtutes.

Deinde est eum dicitur magis et

magis magis in omnibus virtutibus

habere.



# Chreia Philosophica

*super hac sententiã*

Qui unam habet omnes ha-  
bet virtutes.



Tullius in sermone de Officiis, quem in 3. libros distribuit, & Marco filio suo inscribit inter omnes Philosophos constare, à seque ipso disputatum sæpe esse narrat, qui unam habet omnes habet virtutes: quo quidẽ testimonio satis innuit communem illam suis temporibus, non Stoicorum modo qui primas hic facile tenent; verum etiam cum Academicorum, quos ipse sequebatur, tum Peripateticorum quos Marcus filius audiebat: de virtutum individuo Comitatu fuisse sententiam: cum enim omnes dicere Philosophos, non poterat non eos intelligere, quos imprimis animo ejus, cum ista scriberet, tam consentaneum erat obversari: nimirum emun-

ctarum narium hominibus illis, qui aliter  
 longe & animose magis, quam ut hodie  
 fit à plebe ad Philosophos evaserant, per  
 quam plebejum hoc subolebat: si quem  
 temperantem putares & secundas fortu-  
 nas pulchre ferentem, eundem non & for-  
 tem adversus imminentem & firmum ad-  
 versus incumbentem calamitatem fatere-  
 re: aut si frugi eum, & rebus suis modice ac-  
 scienter utentem prædicares: quem libe-  
 ralem & plena manu, cum facultas & ratio  
 ferret, daturum pernegares: aut lenitatis  
 & misericordiæ partes agere præclare:  
 eundem vero gravitatis severitatisque per-  
 sonam, quam Reip. tempus imponeret, su-  
 stinere non posse confirmares: aut pud-  
 cum conjugem, & honeste liberis operam  
 dantem, qui non severissime contineret  
 cupiditatem omnem ac pro re nata, vel  
 castissimus cœlebs esset: sed nec illa, quæ  
 alioquin valde promiscua videntur, con-  
 sentire aut alterum cum altero constare ju-  
 dicabant: Castum esse; sed sævire: so-  
 brium esse; sed furacem: rem parcimonia  
 retinere; sed fidem prodere: pium patriæ  
 tutorem ac vindicem agere; sed cum me-  
 retricula aliqua stupri consuetudinem ha-  
 bere, nec injuria: nam (ut quid primum  
 exempli causa afferebamus, primum etiam  
 disce.

disceptemus) qui voluptatum illecebras  
alto erectoque animo despiciere quidem  
videtur; cæterum ad pericula trepidus, ad  
casum dejectus, officia & partes suas præ-  
termittit: is ipso suo facto luculenter te-  
statur, se non lege, non certo animi ra-  
tione stantis iudicio (quod temperantiæ  
erat) adductum respuisse voluptatem: sed  
tantum sic egisse, quia sic agere visum ef-  
set, & cum contemnere quædam liberet  
(quod ipsissimum libidinis nomen, ipsissi-  
mum intemperantiæ Criterium est) inter  
alia forte, enim ipsam libidinem contem-  
pisse: atque adeo non excussisse cupidita-  
tem (quod populo videbatur) sed duntaxat  
cupiditatem, velut clavum clavo pepulif-  
se: cum enim ratio formidinem & tristitiam  
perinde ac voluptatem contemnendas esse  
censeat: omnes illos Animi motus, instar  
gigantum elatos, jactationesque turbulen-  
tas sub unam redigat Myconon: non hæc  
agi nos, non illâ velit, non promulsum,  
non perculsum ab officio declinare uno  
tenore, ac eodem velut spiritu ingeminet:  
profecto, qui de solius auctoritate ac sen-  
tentia rationis, voluptatem contempserit,  
eiusdem de contemnenda tristitia timore-  
que decretum rescindere, labefactareque  
non poterit: quid ita? quia in statera ra-  
tionis

tionis æquilibras & Monomia, nulla Trutinæ in alteram parte apparet inclinatio, appensa sunt utrinque paria momenta, utique si alterum apud me majori pondere sit & lancem suam deprimat, alterum minus pendat & levetur, non rationis id auctarium est; sed libidinis meæ, non hæc in eam sententiam disputo: ut quæcunque imparata sunt, æquali in gradu collocentur, aut in eodem numero putentur omnia, quæ prohibita (id neque propositum nobis est hoc loco, neque necessarium) sed eorum modo, quæ nobis in mandatis dedit ratio, aliud alio non potius mandatum esse contendo: sic & in iis quæ vetuit rem se habere; cui non repugnaret, obstitereve, si aliud alio magis vel minus proscriptum aut vetitum esse diceremus: quemadmodum nix magis quidem albet quam creta, verum illa non potius quam hæc albet (nam manifestum est utramque albere) sic etiamsi magis atque intentius mandatum nobis esset voluptatem contemnerem, quam timorem: tamen (cum utrumque liquido mandatum sit) nefas dictu foret, illud potius quam hæc mandatum esse: quapropter si quis voluptatem atque libidinem vel severissime contemneri videatur, id est earum instinctu nec agat quicquam

quam ( fac id ei esse persuasum ) nec non  
 agat ; in formidine vel tristitia mollior sit,  
 his tumultuantem abripi se sinat & aperte  
 de officio velut de gradu dejici : legit jam  
 ipsemet sibi, quod omnino non ratione ad-  
 ductus ( utpote quam multæ hic lectionem  
 fecit, nullam optionem permisit, volupta-  
 tem an tristitiam contemnere malle-  
 mus, utramque vero contemnere rigide & ex  
 æquo iussit ) sed quod pure puto pro arbi-  
 trio, pro placito, pro ingenio suo contem-  
 neret : quid ? tu existimas in illo volupta-  
 tis Contemptu tam plena libidine, tempe-  
 rantia locum aliquem relictum esse ? ast hic  
 animi pendeat non nemo, reputetque se-  
 cum, contemnendæ voluptatis ac tristitiæ  
 feriam electionem esse non posse ; non enim  
 conspirant aliquando, nec eundem aliquem  
 eodem tempore corripiunt, animi ægri-  
 tudo & voluptas : aut si quem simul inces-  
 sere quandoque videantur, non contentæ  
 tamen, non integræ, sed remissæ debiles-  
 que quasi temperatione quadam permi-  
 scentur, inter se ac infringuntur, in qua qui-  
 dem temperatione, si æquis inter se viribus  
 concurrunt mutuis etiam vulneribus oc-  
 cumbunt, ac idcirco neutra feriente sensu,  
 perinde habentur, ac si non essent, & hoc  
 ipso satis contemptui sunt ambæ : sint in

i s

illa



illa temperatione, altera superior, altera superatur & jacet: quæ perempta est, nullam exigit curationem, & una illa, quæ viget, laborandum, una illa refecanda est; prorsus ut electio illa, malisne voluptatem an dolorem contemnere, non ad justam pugnam seriumque certamen: sed tantum ad animi præparationem & præludium aliquod spectare videatur: & hinc sequi, ut cum communiter virtutem dividuam esse, tum præcipue temperantiam atque fortitudinem non cogitatione modo; sed re separatas inter se ac disjunctas esse concedamus; insuper dissidium hoc perpetuum esse statuamus, nisi forte vir temperans inter res secundas, adversas anticipando, menteque percipiendo, in illo palestræ suæ ludicro, fortitudinis umbram potius quam fortitudinem captet: aut similem temperantiæ larvam fortitudo, adsciscat (quod equidem usu venit rarius: nam quid sibi vellet inter media pericula tam otiosum commentum?) huic argumentationem, quæ satis scite recentioribus instructa & composita videbitur, sic occurrunt veteres, ut subinde virtutem in promptu esse dicant, reliquis interioribus, & his omnibus cum veluti privatis, solam illam esse eum potestate: imo solam illam agere: sed ut inquit

inquit Seneca, de consilii sententia, dum ab  
 omnibus virtutibus comprobatur, quid ab  
 una fieri videtur, V. G. cum omnia se opti-  
 me ostendant, cum bene beateque agimus  
 & floremus : ex usu est persona tempe-  
 rantia, exerat illa se, exporrigatque &  
 vim suam longe lateque diffundat : forti-  
 tudini in hac scena nullus locus est : ponat  
 ac disistat illa, sed etiamsi de Medio reces-  
 serit, abstruseritque se, etiamsi jam stet in  
 occulto fortitudo, non ideo nulla fortitu-  
 do : quam primum partes ejus fuerint,  
 prodibit : tollatur, modo aulaeum illud  
 blandientis fortunæ, & apparebit : albus  
 ille dies in vesperum declinet, emerget  
 hæc stella : sed fac voluptatem ac tristi-  
 tiam, quamvis indissolubili nexu, & factis  
 ex adamante catenis (quod Poëtæ fabu-  
 lantur,) inter se colligata sunt : non tamen  
 in eundem hominem eodem temporis  
 puncto concurrere, sed duntaxat alteram  
 altera precedente trahi, tum illam quæ tra-  
 hitur, pellere trahentem : non occurrunt,  
 esto : idem in dolore simul ac voluptate  
 non versatur : do tibi illud atque conce-  
 do : sed & hoc mihi da : non longe abeunt  
 inter se, non inter illas amplum interjici-  
 tur intervallum, momento plerumque  
 diffident, & insequens antecedentem pre-  
 mit :

mit: sæpissime enim fit: ut modo læti, repente tristes simus: ex quo conficitur, ut quis eodem prorsus modo (quantum ad rationem attinet) affectus, quo delatus ad voluptatem ante fuerat, mox ad tristitiam deferri facile possit: quamvis enim in perturbationibus animi plurimum valeat calamitatis, infelicitatis locum repentina successio, varios hæc affectus, varie versat inter se, mutetque nihil tamen ei in rationem juris est: hanc profecto mutare illa variareque non potest: nam mutatio omnis à contrario (vetus illud & scholis tam decantatum) & calamitas quidem officit lætitiæ, tristitiæ felicitas adversatur: neutra rationi: quæ velut ex alta quadam specula, eodem vultu, eodem ore atque adeo uno oculorum obtutu despicit utramque fortunam, & pari auctoritate, imo & eadem opera, & de secunda simul ac adversa precipit: qui igitur eodem modo à ratione comparatus (quod fieri posse demonstravi) voluptati quidem restitit, dolori autem concessit: is pro libidine sua restitit voluptati: hoc vero tantum abest, ut sit hominis moderati seseque continentis, qui nihil aliud scit, quam libidini suæ vacare, arde- re in cupiditatibus & gnaviter intemperantem esse: itemque contra: qui calami-  
tatem

tatem quam levissime tulisse visus est, sed voluptatum blanditiis delinitus. Virtuti nuncium remisit: is pro lididine sua fortis erat: hoc vero non erat fortem esse: sed mollem: cum enim eodem animo, alterum amplecti, alterum rejicere, licet alias hoc rejicias, alias illud amplectare, perinde sit atque eodem momento ista committere: superest omnino nihil quod electionem istam evertat, quam qui sumpsit sibi, libidinem suam curæ habere convincitur, de ratione non laborare: idem in reliquis etiam exemplis intelligas licet: nam si affatim donas, cum lautus & potens es, cum zona turget; de gradu autem fortunæ deturbatus, non desistis: æs alienum amicorum causa contrahis, aliisque jam eripis, quod aliis largiari: bis prodigus es, semel latenter iterum manifeste: contra vero si sumptui parcis, cum familiares opes defidiunt, à teque ipso (quod Socrates olim Æschini prudentissimus suadet) mutuum sumis, imo etiam in manuum mercede inopiam toleras; post hæc vero divitiis affluens, idem tenes institum, & porro subtrahis sumptui, quod addas sine fine censui: crede mihi, non alius pridem eras, atque nunc es: avarus nunc es, sordidus nunc es, quis negat?

is

is & pridem eras : quid enim aliud est avarum esse, quam sine ratione famem sibi indicere, pannis oblitum squallere, & cum Euclione habitare domum oppletam inaneis atque araneis : id pridem sine ratione factitabas : igitur pridem cum vel maxime frugalis populi videbaris, avarus eras : sed pridem tali fortunæ talis cultus quadrabat : nihil id habet quæstionis : tum tu ipse sumptum tuum & fortunam tuam de sententia rationis redegeris in quadrum, hoc vero in quæstione versatur : ais? cur non etiamnum cum eodem erga rationem affectus es modo (nam ita esse ponebamus) cultus tuus sorti tuæ pariter æquabiliterque respondet? cur tantum quæstum sumptus excipit tantillus? noli igitur obscure ferre, quod dissimulare nullo modo potes. Elegisti, & quod ratio integrum non dederat, integrum tibi esse voluisti, hic lupo in laqueo : hic patet : hic tenetur illa, quam insectabam.

*Toties Virtutem populo mentita libido.*

Quid igitur? una jam nobis hirundo ver faciet? & quem inter secunda temperantem vel semel deprehenderimus, aut inter adversa constantem sibi, aut etiam inter Amicorum fabulas non inurbanum, non inficetum (nam & hæc inter Virtutes numerum

merum aliquem obtinent) huic continuo totam illum honestatis comitatum assignabimus, hunc Virtutes omnes uno fasce complecti, credemus? hujus fidei (nam pro Deum hominumque fidem! cujus alius fidei!) & privatas facultates & summam rei incuriosi securiq; commitemus? huic & in suos pietatem & in alios æquitatem, justitiam, clementiam, liberalitatem indubiam asseremus? an potius contra? quem inter secunda demulsum vel semel deprehendimus, & fortunæ mollitudine malaciaque delinitum, succubuisse licentiæ: aut inter adversa proculsum terga dedisse formidini: aut inter amicorum forte sales ac jocos durius accepisse aliquid, quam homines belli solent: hunc exauctorabimus continuo? huic & dictorum factorumque constantiam ac fidem & pietatis is ac humanitatis Officia omnia ad vivum detractum ibimus: hunc tota Virtute movebimus, arcebimus? nam si qui vel unam habet, omnes habeat Virtutes, utique qui tantum unam non habet, nullam non habeat necesse est: hunc ego nodum tortum plus satis rudibus ingeniis & intricatum non nisi, boni discerniculi beneficio solvendum & enodandum puto: & primum quidem latum discrimen

men esse jubeo inter Virtutem ipsam & Virtutis Officia, non minus sane quam inter Virtutem & Virtutis insignia: multa Virtutis insignia etiam sine Virtute consecuti sunt, nec pauciores sane Virtutis quædam Officia, sine Virtute prestitere, alius iram simultate pressit, alius luxui temperavit opum cupidine refrænatus: alius prostibulo metu infamiæ repressus abstinit: alius admotus gloriæ stimulis, patriam à servitute liberavit: Virtutis ista sunt Officia; verum ut hic à nobis adumbrata sunt, vitium ea, non virtus exsequitur: larvæ & Virtutis velut exuviæ quædam sunt: eas tamen non virtus sed vitium infarcit & animat: nam qui ita iram compescuit non moderatus; sed impotens est: & qui ita luxui temperavit, non frugi; sed avarus est: & qui ita ganeo caruit, non pudicus; sed vecors: & qui ita patriam liberavit non pius, sed vanus erat: enimvero discrimen illud quod inter Virtutem & Virtutis Officia constitui-  
mus non tantum Officia sine Virtute, sed etiam Virtutem sine Officiis inducit: Virtutem, inquam, Officio suo motam, & velut alias res agentem: virtus enim in iis etiam subinde facinoribus delitescit, quorum si ipsa recessus omnes ac latebras abunde  
pro-

prospiceret , intelligeret oppido , se non dignum majestate sua domicilium delegisse : sed in feritatis forte cavea , aut in obscœnitatis nido , aut in socordiæ gurgustio , aut in servitutis clathris , ignaram hospitari. Hoc interjecto Virtutem inter , & ejus Officia discerniculo , patulus jam ille nodus est , & undique vinculis male nexis hiat: quilibet è circulo jam illum solvat: etenim cum quis alicujus Virtutis Officio rite fungi videbitur , ne quidem confici poterit , eum Virtute illa , cujus officium persolvit , creditum esse , nedum reliquis virtutibus omnibus : nam Virtutis officium ( ut jam vidimus ) à Virtute ipsa separari præcidique facile potest , vitii iniqua falce , quæ tam sæpe mittitur in alienam hanc messem : nec si quis officium deserere videbitur , ideo conclamabimus , & excidisse eum à tota Virtute ; decretorio stilo sanciemus , memores Virtutem etiam subinde ab Officio suo separari per imprudentiam , & talem humanæ mentis caliginem , quam cordata diligentia non discutit : alias in parricidio pietas furit , quem hostem in bello mactare se putabat , socius & pater erat : alias in incesto pudicitia , cui forte temulento , pro conjuge filia succubuit : alias nothum , quem uxor adul-



adultera per summam injuriam atque perfidiam supposuerat : filiis suis protulit paterna charitas : potest igitur virtus non tantum à penso , quod sibi præstitutum habet, dissolvi, sed etiam ad peccati opus , quod institutis ejus alienissimum est , per ignorantiam invincibilem ( sic scholis vocatur ) revinciri : quod illa quidem nunquam fineret ; si nihil unquam illam falleret, si non ei oculos obligasset , antequam ad peccati cloacas relegasset error : sed ignorantiae velum, quod vultui ejus obtenditur , & prospectum delectumque rerum, quæ pro manibus sunt impedit, idem illud sordes, atque turpitudinem, quas ei impurum , quod contrectat opus alexisset, intercipit, retunditque : & manet ipsa inter alienum & fædum laborem, perinde atque inter verum munus officiumque suum intaminata. Igitur catenæ in morem Virtutes inter se devinctæ sunt, qui unam habet omnes habet : conspicuas quidem omnes & in promptu , quarum jam nunc usus aliquis est, cæteras interiores, & latentes : qui vero unam aliquam Virtutē non habet ( ut reliquas etiam omnes habere videatur ) nullam habet : harum Officia duntaxat, non has ipsas habet : Officia virtutibus vacua, libidine plena : at minus illa libidine, qua

qua selegit , quæ susciperet Officia , quæ  
deseret : quam selectionem cum ratio non  
dedert , necessum est , ut illam sibi libido  
assumpserit.

F I N I S .



ERRA-